Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35407
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

reperit. Per somnium in visione nocturna quando
irruit sopor super homines et dormiunt in lectu-
lo. tunc aperit aures virorum et erudiens eos in-
struit disciplinam. ut avertat hominem ab his
que fecit et liberet eum de superbia. eruens
animam eius a corrupcione. et vitam illius ut non tran-
seat in gladium. Increpat quoque per dolorem in lec-
tulo. et omnia ossa eius marcescere facit. Abho-
minabilis ei fit in vita sua panis et anime
illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro
eius et ossa que tecta fuerant nudabuntur. Appropin-
quabit corrupcioni anima eius et vita illius mortiferis.
Si fuerit pro eo angelus loquens unum
de similibus. ut annunciet hominis equitatem.
miserebitur eius et dicet. Libera eum ut non des-
cendat in corrupcionem. inveni in quo ei propi-
tier. consumpta est caro eius a suppliciis. re-
vertatur ad dies adolescentie sue. Deprecabitur
deum. et deprecabilis erit ei. et videbit faciem eius
in iubilo et reddet homini iusticiam suam. Re-
spiciet homines et dicet. Peccavi et vere deli-
qui. et ut eram dignus non recepi. Liberavit ani-
mam suam ne pergeret in interitum; sed vivens
lucem videret. Ecce hec omnia operatur deus tri-
bus vicibus per singulos. ut revocet animas eorum
a corrupcione. et illuminet luce viventium.
Attende ergo Job et audi me. et tace dum ego
loquor. Si autem habes quod loquaris. responde
mihi. loquere. Volo enim te apparere iustum.
Quod si non habes. audi me. tace. et docebo te
sapienciam. Heliu ait. XXXIIII.

Pronuncians itaque heliu etiam hec
locutus est. Audite sapientes verba mea
et eruditi auscultate me. Auris enim verba pro-
bat. et guttur escas gustu diiudicat. Iudici-
um eligamus nobis. et inter nos videamus quid
sit melius quia dixit Job. Iustus sum et deus
subvertit iudicium meum. In iudicando enim me
mendacium est. violenta sagitta mea absque
ullo peccato. Quis est vir ut est Job. qui bibit
subsannationem quasi aquam; qui graditur
cum operantibus iniquitatem et ambulat cum vi-
ris impiis. Dixit enim. Non placebit vir
deo. etiam si cucurrerit cum eo. Ideo viri cor-
dati audite me. Absit a deo impietas. et
ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis
reddet ei. et iuxta viam singulorum restituet.
Vere enim deus non condempnabit frustra.
nec omnipotens subvertit iudicium. Quem consti-
tuit alterum super terram. aut quem posuit
super orbem quem fabricatus est. Si direxe-
rit ad eum cor suum. spiritum illius et flatum
ad se trahet. Deficiet omnis caro simul
et homo in cinerem revertetur. Si habes ergo in-
tellectum. audi quod dicitur. et ausculta vocem elo-
quii mei. Numquid qui non amat iudicium sa-
nari potest. Et quomodo tu eum qui iustus est
in tantum condempnas. Qui dicit regi apostata.
qui vocat duces impios. qui non accipit
personam principum. nec cognovit tyrannum
cum disceptaret contra pauperem. Opus enim
manuum eius universi. Subito morientur et in me-
dia nocte turbabuntur populi. et pertransibunt
et auferent violentum absque manu. Oculi enim
eius super vias hominum. et omnes gressus eorum
considerat. Non sunt tenebre. et non est umbra
mortis. ut abscondantur ibi qui operantur ini-
quitatem. Neque enim ultra in hominis potes-
tate est. ut veniat ad deum in iudicium. Conte-
ret multos innumerabiles. et stare faciet ali-
os pro eis. Novit enim opera eorum et idcirco in-
ducet noctem. et conterentur. Quasi impios
percussit eos in loco videncium. qui quasi de in-
dustria recesserunt ab eo. et omnes vias
eius intelligere noluerunt. ut pervenire face-
rent ad eum clamorem egeni et audiret vo-
cem pauperum. Ipso enim concedente pacem.
quis est qui condempnet. Ex quo absconde-
rit vultum suum. quis est qui contempletur
et super gentem. et super omnes homines. Qui
regnare facit hominem ypocritam propter peccata
populi. Quia ergo ego locutus sum ad deum. te quoque
non prohibeo. Si erravi. tu doce me. si ini-
quitatem locutus sum. ultra non addam. Numquid
a te deus expetit eam. quia displicuit tibi.
Tu enim cepisti loqui. et non ego. Quod si quid